



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita senis Cyriaci ex monasterio sancti Sabæ. Capvt LIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

istæ virtutes in amore, & studio apud monachos erant. Nuditas i re: um omnium, mansuetudo, & continentia: nunc autem auaritia, gula, & audacia. Quod horum tibi placet arripe.

¹ Ecce quæ reddebant antiquos monachos commendabiles.

Vita senis Cyriaci ex monasterio sancti Sabæ.

CAPVT LIII.

Narrauit nobis Abbas Stephanus de quodam sene morante in monasterio sancti patris nostri Sabæ, nomine Cyriaco, quod die quadam descenderit Tuthelam, parumque remoratus circa mare mortuum, rediit iterum ad cellam suam. Cum vero esset æstus vehementissimus, ita vt senex penè deficeret, extendens manus suas in cælum ad Deum, orauit dicens: Domine, tu scis quia iam præ siti ambulare non possum. Statimq; nubes circa illum facta est, neq; recessit ab eo, quamdiu restitueretur cellæ suæ. distabat autem à cella miliaribus ferè duodecim.

Idem Abbas Stephanus, & hoc nobis de eodè sene narrabat, quod venerint sui die quadam vt illum viderent. Cum ergo venissent ad locum, quærebant ipsius cellulam, quam dum quibusdam ostendentibus didicissent, ad euntes pulsauerunt ianuam. Quibus cognitis, senex Deum orauit, ne ab ipsis videretur. Et aperiens ianuam, exiit de cellula sua, & ab eis penitus 2 visus nõ est. Abiensq; in desertum, redire tandiu noluit, donec illos recessisse cognouit.

¹ Nota orationem cum manuum extensione ad cælum, & illius exauditionem.

² Ecce mirabilem fructum orationis.